

turpem te esse oportebit, etiam si omnem operam in id impendas, ut uidearis formosus. De reliquo nihil est quod ego tibi loquar, nam siue quæ sentio eloquor, molestus tibi ero, et egressus amplius nō reuertere: siue conticuero, uide quid committam. Me equidem accessisti tanquam utilitatem aliquam ex me percepturus, at ego re ipsa nihil te adiuuero. Et tu ut ad philosophum uenisti: ego autem ut philosophus si nihil tecum loquar, non intelligo quomodo me deceat te emendationis indigentem sic negligere. Nam si aliquando respueris, meritò abs te accuser, his uerbis: Ecquid in me deprehēdit Epictetus, ut uidens me sic ad se ingressum tam turpiter habentem, nō admoneret, ut ne uerbum quidem faceret? num ita me despexit tanquam desperatum? iuuenis nō eram? non intelligebam quæ dicerentur? quàm multi alij adolescētes propter ætatem in huiusmodi rebus delinquant? audio quendam etiam Polemona ex petulantissimo adolescente insigni mutatione uitæ alium factū. Esto. Non me censuit fore Polemonem. Attamen potuit cincinnos meos emendare, potuit detrahere focalia, atque his nudatum facere potuisset tranquillum & quietum. At conspiciens nescio cuius ornatum & figuram habentem, tacuit. Et ego ut non indicem quidem tibi, cuius sit uestiendi hæc atque ornandi figura, posterius tamē tu ipse, quum ad te redieris, eam explicabis, & intelliges cuiusmodi sit, & quinā eius sint studiosi. Hæc mihi si aliquando exprobres, quid habebō quo me defendam? Certè habiturus sum aliquid. Dicam enim, nō obtemperabit. Num Apollinis dicto audiēs fuit Laius, nōne discedens temulentus, ualere iussit oraculum? Num uerò propterea non prædixit ei Apollo quæ uera erant? Et quod ad me quidem attinet, nescio ego obtemperaturus mihi sis, nec ne. Apollo uerò sciebat certissimò Laium non pariturum, nihilominus prædixit.

B 3 Sed